Lane Medical Library

DE COGNOSCENDIS MORBIS ORGANICIS TESTIUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. M. JULII A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

HENRICUS SIMONSON,

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

B. ERBKAM, MED. ET CHIR. DR.
G. PRITZKOW, MED. ET CHIR. DR.
L. KUEHNE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PRAEFATIO.

Studiorum curriculo finito, diu multumque mecum reputavi, quamnam dissertationis conscribendae materiam ex immensa, quam medicina nobis suppeditat, rerum copia eligerem. Nam rem tritam atque omnibus cognitam rursus pertractare, mihi displicebat; omnia vero aut satis elaborata mihi videbantur, aut si quid accuratiore etiam disquisitione indigebat, vires meas labori suscipiendo impares esse putabam. Quum igitur rem, qua alios docerem, invenire non possem, constitui aliquid literis mandare, quo scribendo ipse discerem, ne saltem omne tempus operi laborando tributum sine ullo fructu consumerem. Ita factum est, ut in morbos

organicos testium inciderem, qui jam diu propter cognitionis difficultatem animum meum maxime in se converterunt. Antequam vero ad rem propositam aggredior, non alienum esse putavi, etiam de inflammatione testium disserere, non quod eam morbum organicum esse putarem, sed quia complures testium degenerationes ab illa originem ducunt. Quum vero de cognitione illorum morborum scribere statuissem, curationem et quaecunque non ad cognitionem atque distinctionem morborum aut inter se, aut ab aliis similibus pertinent, omisi; non minus etiam a commentatione mea omnes eos morbos exclusi, qui funiculum spermaticum et scrotum afficiunt, ne copia rerum tractandarum dissertationis spatium excederet.

Caput I.

De Orchitide.

(Orchidocele acuta, Didymitis et Epidydimitis, Inflammatio testiculi, Hernia humoralis, Testiculus inflammatus.)

Epidydimis plerumque primum inflammatione afficitur, quae, cum increvit, etiam didymidem ipsam, ceterasque testiculi partes corripit. Raro tantum uterque testiculus simul inflammatione afficitur; nonnunquam vero inflammatio a testiculo altero repente discedit seque in alterum, usque eo sanum atque cujuslibet morbi expertem, conjicit. Priusquam testiculus intumescit, aegrotus saepe dolorem trahentem in abdomine et praecipue in regione lumbali percipit, quocum nausea, vomitus, diarrhoea, borborygmus conjuncta esse solent; semper autem inflammatio appropinquans in testiculo ipso pondere adaucto sensuque molesto et dolente se manifestat. Quae symptomata, postquam nonnullos dies persti-terunt, rursus evanescunt. Iam vero testis tumescere, calefieri atque dolore hebete affici incipit·

Primum quidem testis inflammatus digito tactu exploranti spongiosum mollemque se exhibet, deinde indurescit, semper autem formam rotundam, quendam elasticitatis gradum laevemque superficiem retinet. Tumor cito accrescit atque haud raro magnitudinem pugni hominis adulti adipiscitur; quod si accidit, scrotum distenditur, rubescit gravique dolore afficitur, qui noctu ingravescit multoque major est, si aegrotus incedit, quam si in lecto accumbit. Quum vero inflammatio vehementiae fastigium assecuta est, pulsus imprimis in hominibus, qui facile irritantur, frequens, celer, durus fit, interdum etiam meteorismus, gravissimi abdominis dolores, quamvis lenissime attingatur, vomitus frequens, singultus — quid multa? omnia signa inflammationis in abdomine se diffundentis accedunt.

Orchitis multis variisque causis effici potest:

1. Plerumque originem ducit ab urethritide, quae nimio corporis motu, imprimis si aegrotus suspensorio non utebatur, injectionibus irritantibus, potu spirituoso assumpto, cibis nimis nutrientibus, concubitu, remediis denique balsamicis intempestive adhibitis, ad hunc inflammationis gradum pervenit, ut effluvium aut celeriter opprimeretur, aut saltem valde diminueretur. Nonnunquam tamen inflammatio, effluvio perseverante, ab urethra ad testiculos serpit.

2. Interdum exoritur, postquam ulcera localia syphilitica aut urethritis jam diu sponte evanuerunt; quod si evenerit, orchitis signum certissimum syphilidis universalis sive secundariae habenda est. Semper vero hoc in casu inflammatio decursum chronicum praebet.

3. Saepe compressio, contusio, vulnus aliaque vis externa, sive testem ipsum, sive aliam genitalium partem affecit, testium inflammationem excitant.

4. Ratione metastatica eam oriri videmus in angina parotidea; interdum enim post refrigerationem repente inflammatio e glandula parotide discedit seque in testiculos conjicit.

5. Eam etiam haemorrhoidibus perversis et arthritide vaga effici, nonnulli autores affirmant.

6. Retentio seminis insueta et priapismus, qui, non expleta coëundi cupiditate, diu perseveravit, causis adnumerandi sunt.

7. Refrigeratione efficitur in hominibus, qui multo sudore in perinaeo atque intimo femorum latere laborant.

8. Observatum est denique, interdum irritatione tractus intestinalis orchitidem ratione sympathica provocari, quod quidem de dysenteria inter omnes constat, minus vero compertum est de Taenia, quae in aegroto quodam, quem Aubert [1]) obser-

---

1) Dict. des sciences médicales. Tom. L. p. 24.

vavit, sola atque manifesta orchitidis causa fuisse dicitur.

Inflammatio testiculi, remediis apte adhibitis, vulgo mox dissolvitur. Si vero curatio perversa instituitur aut morbus omnino negligitur, in suppurationem, indurationem, gangraenam, hydrocelen transire potest.

Suppuratio testiculi raro tantum observatur. Hunc exitum adesse, concludi potest, si inflammatio ultra tempus solitum immutata violentia permansit, dolor pulsans factus est, rubor scroti exalbuit, tumor testis diminuitur et paululum emollescit atque aegrotus subitis horripilationibus afficitur.

Interdum etiam abscessus testiculi, qui fluctuatione se manifestat, palpando animadvertitur. Neutiquam vero facile est ad distinguendum, utrum verus testiculi abscessus, an fluctuatio fallax, qualem orchitis incipiens praebeat, adsit; saepe enim nihil aliud, nisi universus morbi decursus hac in re dijudicanda certiores nos facere potest. Si autem abscessus verus adest, qui aut artificiali, aut spontanea scroti perforatione contentum suum effundit, pus cum filamentis albidis et inter se convolutis, parenchymate testiculi dissoluto, commistum esse videmus; quae filamenta, si volsella corripiuntur, ita protrahi possunt, ut tunica albuginea testis vacuefiat.

Orchitis plerumque in indurationem transit, si inflammatio fomentationibus frigidis suppressa est aut si aegroti dyscrasia scrophulosa vel arthritica laboraverunt. Induratio modo epididymidem solam afficit, modo totus testiculus, modo denique etiam major minorve pars funiculi spermatici indurescunt. Naturalis testiculi magnitudo atque pondus saepe valde augentur, semper vero tumor superficiem laevem praebet omnique dolore caret. Induratio inflammationem secuta vulgo per totam vitam sine ullo incommodo sustinetur et ne procreandi quidem vis imminuitur; nunquam vero ex illa degenerationes malignas emanare, ut Girtanner contendit, neutiquam affirmaverim, sed potius Larrey plane assentior, qui, multis observationibus edoctus existimat, indurationem non in scirrhum aut sarcocelen transire posse, nisi dispositiones morbosae et dyscrasiae in corpore aut aperte adsint, aut occulte quiescant.

Gangraena testiculi, inflammationem secuta, rarissime tantum occurrit. Omnes observationes hac in re consentiunt, eam semper a dyscrasia corpori insita aut ab incarceratione funiculi spermatici simul turgidi in annulo abdominali deducendam esse. Si gangraena adest, dolores antea gravissimi repente abierunt, testis digito exploranti marcidus esse videtur atque scrotum oedematose, interdum etiam emphysematose tumescit.

Caput II.

De Hydrocele.

Hydrocele est accumulatio seri, quae aut membranis scroti, aut tunicis vaginalibus funiculi spermatici et testiculi continetur. Illarum specierum ultima tantum, hydrocele tunicae vaginalis testis, ad nos pertinet.

In statu sano continuo aliquid seri in tunica vaginali testis secernitur, ut testiculi superficies lubrica retineatur neve cum tunica vaginali concrescat; serum autem non se accumulat, sed a vasis lymphaticis, prout secernitur, resorbetur. Veruntamen quum testis ipse aut tunica vaginalis morbo aliquo afficiuntur, seri secretio nimis augetur aut vasorum lymphaticorum efficacitas infringitur, quo accidit, ut serum se accumulet illaque hydroceles species exoriatur, de qua nobis diserendum est.

Hic morbus non modo in hominibus adultis observatur, sed etiam in puerulis, qui, etiamsi raro, illa morbi specie affecti nascuntur; saepius enim hydrocele congenita est collectio seri in tunica vaginali funiculi spermatici [1]).

---

1) vid. Schreger über d. angeb. Wasserbruch etc. in Horn's Archiv f. med. Erfahrung. Jahrg. 1809. Bd. III. p. 239 seq.; atque ejus über d. Wasserbruch des Scheidenkanals etc. in d. Abhandl. der physicalisch-medic. Societaet. T. I. p. 351. 1810.

Hydrocele nascente, tumor ovalis et facile comprimendus in fundo scroti animadvertitur; funiculus spermaticus, nisi hernia vera aut hydrocele funiculi spermatici simul adsunt, a testiculo usque ad annulum abdominalem clausum persequi eumque omni statu morboso liberum esse animadvertere possumus. Quo magis seri copia accrescit, eo propius tumor ab infima scroti parte sursum se erigens, annulo abdominali accedit, ita ut tandem funiculus spermaticus non amplius palpando sentiri possit atque spatium tumori et annulo abdominis interjectum fere evanescat. Si vero digitum inter illum annulum atque apicem conicum clausumque tumoris, qui jam formam piro similem assumsit, imprimimus, vulgo dilucide sentimus, annulum liberum, non extensum neque corpore alieno, quod funiculum spermaticum obtegat, expletum esse, tumorem non ex eo provenire neque aquam ullam cum cavo abdominis conjunctionem habere. Tumor usque ad magnitudinem capitis puerilis accrescere potest; quem gradum si morbus assecutus est, fluctuatio, quae tantum, tunica vaginali modice distenta, sentitur, non adest et tumor durus atque vesicae aquae copia, quam maxime fieri potest, extensae simillimus fit. Morbo quidem nascente scrotum rugas retinet, sensim vero ita intenditur, ut rugae minus dilucide appareant, nunquam fere, ut plane evenescant. Aegrotus nullos in tumore ipso dolo-

res percipit, neque ullam aliam rem, nisi sensum trahentem et molestum in regione lumbali conqueritur, qui, magno tumoris pondere nervos funiculi spermatici nimis detrahente, facile explicari potest. Ille sensus augetur, si aegrotus stat; valde diminuitur, si scrotum suspensorio sublevat.

Tumor, quum ad summum extensionis gradum pervenit, cutem partium adjacentium, praecipue vero penis ita detrahit, ut haud raro plane se recondat ejusque locum plica depressa obtineat, quae ostium cutaneum urethrae complectitur. Ceterum tumor neque tussi gravissima, neque ulla virium contentione augetur, neque pressu vel quovis corporis statu in abdomen reponitur et si quando reponitur, ut interdum fit, accipiendum est, canalem vaginalem neque in annulo abdominali, neque supra testiculum clausum esse, qua propter aqua sine ullo impedimento ex abdomine in tunicam vaginalem testis descendere queat. Ejusdem generis illa observatio, quam Loder in libris, qui chirurg.-medicin. Beobachtungen (Bd. 1. p. 166. Weimar 1794.) inscribuntur, literis tradidit, mihi fuisse videtur.

Situs testiculi in tunica vaginali extensa incertus est; veruntamen, si tumor magnum ambitum assecutus est, plerumque in parte superiore et posteriore invenitur, ubi loco paulo duriore se manifestat, quia illic propter arctam albugineae et tunicae vaginalis cohaesionem aqua non interposita

est atque ita testiculus directe tangitur, qua ex re patet, cur hic locus solus, si tumor comprimitur, paululum doleat; nunquam vero non iste dolor illi simillimus est, qui testiculo presso excitatur.

Signis certissimis hydroceles quoque tumoris pelluciditas, lucerna apposita aut radiis solis incidentibus, adnumerari solet, sed immerito. Nam pelluciditas tum solum adest, quum liquor inclusus limpidus neque ullo colore tinctus est ejusque accumulatio tam celeriter exorta est, ut tunica vaginalis nondum se incrassaverit. Inprimis vero in puerulis pelluciditate decipi possumus, in quibus, sicuti Warner [1]) saepe observavit, etiam epiplocele scrotalis lucem optime transmittit.

Morbus plerumque, non semper, unum modo testiculum afficit, neque vero unquam raphe scroti in medio invenitur. Ceterum nonnulli autores, praecipue Fabricius de Hilden, Palfyn, van der Haar, confirmant, hydrocelen multo saepius latus sinistrum, quam dextrum occupare.

Hydrocele progigni potest, si testiculi contunduntur, aut pars superior funiculi spermatici fascia herniali male parata comprimitur, aut abdomen refrigeratione subita corripitur, aut orchitis antecessit, aut denique induratio testis adest, quam ob rem sarcocelen crebro cum hydrocele conjunctam vide-

1) Jos. Warner von d. Krankh. der Hoden u. ihrer Häute. A. d. Engl. Gotha 1795. p. 43.

mus. Plerumque quidem morbus localis est; haud raro autem experientia ostendit, hydrocelen malum vicarium esse, quo amoto, morbi gravissimi, imprimis hydrothorax, succederent; quam rationem adesse, colligi licet, quum aegrotus, diu mala valetudine usus, ex ortu hydroceles convaluit, aut cum hydrocele aetate provectiore exstitit, neque ulla causa localis inveniri potuit.

Non facile hydrocele tunicae vaginalis testis cum hydatidocele sive hydrocele hydatidosa confunditur, quum parum similitudinis singulis morbis insit. Hydatidocele enim vesicis majoribus minoribusve liquorem lymphaticum continentibus constat, quae aut sigillatim, aut gregatim funiculo spermatico, testi vel tunicae vaginali affixae sunt, superficiem laevem praebent, neque duritie, neque sensibilitate praeditae sunt, tumorem frigidum parvique ponderis componunt; si scrotum manu frigida attingitur, repente sub cute rugosa se contrahunt et postea rursus se extendunt, id quod haud raro etiam oculis animadverti potest.

Multo autem difficilius hydrocele ab orchitide, induratione testis, oedemate scroti, hernia scrotali, fungo medullari distinguenda est.

Orchitis plerumque cum urethritide conjuncta est; tumor celeriter se excoluit, magni ponderis est, vehementissime dolet, durior est quam hydrocele et praeterea quoque scrotum rubore inflamma-

torio tingitur. Iisdem fere signis, dolore excepto, indu atio benigna testiculi ab hydrocele discrepat. Tumor hydroceles contra pressui cedit, fluctuationem praebet, non dolet et pro magnitudine levior est, quam testiculus inflammatus.

Oedema scroti tumorem ostendit albidum, mollem, non elasticum, qui sub totum scrotum extenditur, digitorum impressiones accipit diuque retinet. Primum quidem rugae, quas scrotum in statu naturali exhibet, animadvertuntur, postea vero plane evanescunt; raphe semper in medio conspicitur; tumor mollis sensim indurescit et cutis albitudinem insolitam atque superficiem nitentem obtinet; penis quoque intumescit formamque tortuosam accipit. In hydrocele vero rugae, quamvis scrotum maxime distentum sit, nunquam plane desunt, etsi interdum minus dilucide conspiciantur; praeterea raphe semper in medio sita est et penis non tumescit neque variis flexuris curvatur, sed potius adeo retrahitur, ut e conspectu recedat.

Tumor herniae scrotalis semper in inguine oritur, unde sensim in scrotum descendit; non tam pyramidalis est, quam is hydroceles, sed plerumque mollis et sine fluctuatione manifesta. Annulus abdominis corpore alieno extensus est, a quo funiculus spermaticus non satis distingui potest. Aegrotus conqueritur de doloribus, nausea, vomitu, aliis organorum abdominalium affectibus morbosis. Ple-

rumque tumor recedit, si leniter compressus attollitur aut si aegrotus dorso recubat, sed revertitur, simulac surgit vel tussire molitur. Veruntamen si originem hydroceles tunicae vaginalis testis observamus, longe aliter res sese habet; nam tumor semper primum in fundo scroti animadvertitur, unde lente annulo abdominali appropinquat; superficiem planam laevemque praebet, id quod in hernia scrotali nunquam fere fit; funiculus spermaticus supra tumorem vulgo solus facillime invenitur et ubique fluctuatio sentitur. Tumor tandem compressione aut ullo corporis situ neque augetur, neque diminuitur. Nihilo minus tamen interdum medici experientissimi in cognoscenda hydrocele apud parvulos decipiuntur, morbum herniam veram esse existimantes; quem in errorem idcirco facile incidunt, quod in illis, inprimis si epiplocele adest, tumor hernialis haud raro perspicuus est, testes cum tunica vaginali paululum modo ab annulo abdominis remoti sunt, ut tumor videatur ex eo descendisse et potissimum quod interdum aqua, canale vaginali aperto, tanquam intestinum prolapsum in abdomen reprimitur.

Hydrocele quoque herniae vesicae urinariae, si quidem hernia scrotalis est, speciem praebere potest; at vero si perpendimus, tumorem illius herniae manifesto ex annulo abdominis descendisse neque finem ejus superiorem patere; testem sub eo

distingui; tumorem, postquam aegrotus minxerit, aut diminui, aut omnino evanescere; difficultates urinae retinendae aut reddendae adsint necesse esse, quae omnia hydrocelae desunt, non diu in errore versabimur.

Interdum hydrocele tunicae vaginalis testis et ea funiculi spermatici non satis inter se distinguuntur, quamquam signa utriusque morbi multis rationibus inter se discrepant; in hac enim testis in inferiore tumoris parte aperte inveniri solet, in illa raro tantum manifesto sentitur, nisi forte in posteriore tumoris parte; in hac tumor supra testem observatur atque sensim deorsum se extendit, in illa semper in fundo scroti oritur atque deinde crescens surgit. Raro uterque morbus simul in aegroto aliquo reperitur; quod si accidit, ut Bell [1]) recte monet, tumor in eo loco, quo tunica vaginalis funiculi spermatici se cum ea testiculi conjungit, semper magis attenuatus et quasi constrictus est. Ceterum la Faye [2]) primus medicos ad hanc utriusque morbi conjunctionem attentos reddidit.

---

1) B. Bell, Abhandlung vom Wasserbruche, Fleischbruche und andern Krankheiten der Hoden. A. d. Engl. m. Anmerk. Leipzig 1795.

2) Dionis cours d'opérations de chirurgie cum annotationibus a la Faye adjectis. 1783. p. 365.

Discrimen hydroceles et fungi medullaris e capite ultimo apparebit.

Caput III.

De Haematocele.

Jam Celsus et Paulus Aegineta haematoceles mentionem faciunt; omnium vero autorum Pott [1]) optime hujus morbi naturam descripsit. Distinguit enim quatuor species; in primis duobus testis tumidus est sanguine in tunica vaginali propria accumulato; tertia species continet sanguinis extravasationes in albuginea et quarta denique in tunica vaginale funiculi spermatici. Has varias species paucis verbis describam:

1. Tunica vaginalis testiculi in statu sano est membrana non valde crassa et ex rubro albida, quia vasa sanguifera exigui momenti sunt; quum vero diu per magna aquae copia extenditur, crassescit et vasa adeo turgent, ut varicosa merito nominares. Jam si, curatione pallitativa hydrocelae tunicae vaginalis adhibita, unum alterumve illorum vasorum laeditur, prima seri effluentis pars, admista sanguinis copia, colorem fere purpureum assumsit. Quum vero, omni liquore emisso, tunica vaginalis collapsa

1) Percival Pott. Abhandlung von dem Wasserbruche und andern Krankheiten der Hoden etc. in ejus sämmtlichen chirurg. Weıken a. d. Engl. T. I. Berlin 1787.

sit, haemorrhagia ista adeo sponte compesci solet, ut nonnullae guttae modo tarde destillent. Sed postquam punctionis vulnus emplastro obtectum est, paulatim illae guttae in tunica vaginali se colligunt atque tumorem paucis ante horis amotum magnitudine aequantem efficiunt.

2. Interdum accidit, ut, instituta hydroceles punctione, etiamsi serum emissum limpidum nulloque colore tinctum fuit, non ita multo post, scrotum ad eandem, quam modo habuit, amplitudinem pervenerit atque, si rursus puncturam instituimus, jam merus fere sanguis effluat. Subita enim tumoris evacuatione, amota compressionis causa, vasa sanguinis influentis copia nimis extenduntur et sic fit, ut unum alterumve disrumpatur et sanguinem in tunicam vaginalem effundat, qui, si copia permagna est, resorberi nequit. Hac re quoque explicandum est, cur interdum ultima pars liquoris post hydroceles punctionem effluentis repente colore rubro tingatur.

Utraque haematoceles species omnia signa hydroceles prae se fert, nisi forte majore tumoris pondere ab ea differt.

3. Nonnunquam totum testiculi parenchyma, imprimis vero rete vasorum sanguinem vehentium, ita dilatatum atque emollitum est, ut tumor digitis explorantibus mero liquore tenaci spissoque constare videatur. Neque vero quaecunque testiculus con-

tinet, fluida sunt, sed major minorve sanguinis copia vasis excessit, in albuginea se accumulavit et quandam fluctuationis speciem praebet, quae propter majorem a superficie distantiam et liquoris densitatem non tam manifesto, quam in hydrocele sentitur. Si instrumentum quoddam, quod Troiquart, vocatur, immittis, sanguis spissus atque fuscus effluit, cujus copia minor est, quam pro tumoris magnitudine exspectares. Testis igitur, sanguine emisso, non ad magnitudinem, quam in statu sano offert, revertitur et simul tam relaxatus mollisque est, ut comprimendo sine ullo dolore in formam planam redigatur. Mox vero pristinam magnitudinem morbosam recuperat.

4. Ultima denique haematoceles species exoritur, si vehemente atque repentina virium contentione vel laesione aliqua ramus venae spermaticae in cursu, quo a testiculo ad annulum abdominis tendit, disruptus est et sanguis extravasatus se in tunicam vaginalem funiculi spermatici colligit.

Haematocele, dummodo ad signa sensualia sola, quae praebet, animum advertas, utique non facilis est ad distinguendum ab hydrocele; omnino vero fere signum certissimum haematoceles accipiendum est, quum magnus tumor fluctuans testiculi intra nonnullas horas, qualibet causa effectus, exortus est; nunquam enim collectio aquae tam celeriter es excolit, quam sanguinis.

Caput IV.
De Pneumatocele.

Multi quidem scriptores veteres pneumatocelen sive tumorem testiculi aut funiculi spermatici aëre incluso effectum describunt, affirmantes, morbum esse, qui imprimis puerulos afficiat atque tumorem laevem, elasticum, non fluctuantem, parvi ponderis formet. Nemo vero medicorum recentiorum, se hunc morbum observasse narrat, quocirca multi sunt, qui illarum descriptionum veritatem merito in dubitationem vocant et potius opinantur, illos scriptores aut herniam veram aut hydrocelen congenitam isto nomine appellasse, sicut etiamnunc a nutricibus hominibusque medicinae imperitis fit.

Caput V.
De Spermatocele.

Spermatocele tumor epididymidis vasisque deferentis a seminis retentione oriundus nominatur. Brachet [1]) hunc morbum interdum observasse contendit. Si enim, inflammatione urethrae usque

1) Brachet observations et réflexions sur la fistule spermatique ou spermatocèle in Journal général de médicine 1826. Juin. p. 348.

ad caput gallinaginis progressa, orificium ductus ejaculatorii obstructum est aut vas deferens strictura adeo praecluditur, ut semen emitti nequeat, in epididymide se colligit, ibi sensum prementem, tensionem, interdum dolores gravissimos excitat et nisi pollutione spontanea aut concubitu evacuatur, inflammatio, suppuratio, perforatio scroti, fistulae semine effluente insignes consequuntur. Etiamsi vero illi observationi omnem fidem tribuerim, attamen cum auctore supra laudato non consentiendum esse putaverim, quum contendat, tumorem testiculi, qui gonorrhoeam, postqnam ad stadium decrementi pervenerit aut jam aliquantum temporis plane discesserit, insequatur, semper in epididymide incipere atque retentioni seminis adscribendum esse. Aliquoties enim ipse aegrotos, gonorrhoea laborantes, observavi, in quibus inflammatio non tanta fuit, ut ad caput gallinaginis et vas deferens perveniret, quae partes ergo neque intumescere, neque tumore prohibere potuerunt, quominus semen ejiciceretur — et nihilo minus testis extumuit.

Caput VI.

De Varicocele.

Verbis varicocele et cirsocele saepe notio diversa tributa est; complures enim autores varicocelen extensionem venarum superficialium scroti solam

appellant atque verbo cirsocele eundem morbum, si venas funuculi spermatici affecit, intelligi volunt. Alii varicocele utrumque morbi genus complectuntur et cirsocelen vasorum epididymidis aut testiculi totius varicositatem denominandam esse censent; alii denique, quorum sententiae equidem quoque adstipulor, quum κιρσός aeque ac varix venam ratione morbosa extensam significet, utroque verbo promiscue utuntur eique, si variae morbi species designandae sint, partis affectae nomen adjiciunt e. g. varicocele sive cirsocele scroti, funiculi spermatici.

Richter [1]) quidem demonstrare studet, tumoris sedem in cirsocele non venas funiculi spermatici esse; nam falli credo illos, inquit, qui varicocelen pro tumore funiculi spermatici varicoso habent; sed persuasissimum mihi est, sedem morbi primariam esse epididymidem, cujus ductus, quibus constat, seminiferi adeo intumescunt, crassescunt, indurantur, ut fasciculum funiculorem referant. Veruntamen Murray [2]) sententiam veterem, varicoceles sedem in venis funiculi spermatici totiusque

---

1) A. G. Richter nov. comment. Gotting. T. II. atque ejus Observat. chirurg. fasc. II. p, 22.

2) Murray dissert. de cirsocele, resp. Bonsdorf. Upsal. 1784.

testiculi quaerendam esse, cui etiam **Baillie** et **Soemmering** accedunt mihique disquisitionibus anatomicis jam satis comprobata esse videtur, defendit.

Varicocele format tumorem oblongum, non pellucidum, initio quidem non dolentem, qui in teste incipit, funiculi spermatici cursum persequitur, ad annulum abdominis usque pertinet et colore fusco per cutem scroti distentam emicat. Vasa varicosa exploratoris digitis se offerunt instar funium funiculum spermaticum circumvolventium, qui ambitum culmi stramiei habent atque interdum usque ad digiti circuitum increscunt; aliquoties etiam tumor fasciculo quasi lumbricorum inter se convolutorum simillimus est. Testis lateris affecti tumoris pondere deprimitur, quocirca id latus scroti altius dependet, quam alterum. Aegroto stante aut tussiente, tumor magis descendit atque increscit; si vero eum comprimentes ex inferiore scroti parte attollimus aut si aegrotus dorso recumbit, diminuitur, quo fit, ut interdum tumor noctu plane fere evanescat, mane autem, quum aegrotus e lectulo consurrexit, revertatur. Sensim tumor ad annulum usque abdominalem ascendit, quin etiam per illum in abdominis cavum transit eumque interdum adeo dilatat, ut omenti vel intestini pars per eum in scrotum descendat. Quo magis autem tumor increscit atque augetur, eo magis testiculus flacce-

scit, volumine minuitur tandemque ita evanescit, ut tunica albuginea vacua collabatur. Verumtamen saepissime morbus, mitiorem quendam extensionis gradum adeptus, semper immutatus consistit, quamvis interdum perversa vitae degendae ratio aegroti atque noxium negotiorum genus timorem haud inanem excitent, ne morbus ad summum malignitatis fastigium perveniat [1]).

Varicocele utique herniae scrotali, praecipue epiplocelae, tam similis est, ut a medicis minus peritis cum illa facile confundatur; quantopere autem necesse sit, utriusque morbi discrimina accurate cognosci, imprimis e gravissimis incommodis patet, quae nascuntur, quum quis aegroto, varicocele laboranti, sibi cum epiplocele negotium esse putans, brachierium applicuerit. Si vero singula utriusque morbi signa accurate animo perpendis, nunquam fere fit, ut decipiaris. Plerumque enim, si tumorem diligenter contrectas, funiculos modo crassiores, modo tenuiores, sicut lumbrici, inter se convolutos reperies, id quod de epiplocele dici nequit. Veruntamen hoc signum in varicocele magna atque inveterata locum non habet. Tela enim cellulosa, quae vasis funiculi spermatici, epididymidis testisque interest, tandem ita intumescit

1) cf. Delpech précis élémentaire. Vol. III. p. 265.

atque occallescit, ut jam tumor massam mollem, hic illic tumulosam constituat, quae vix ab omento hernia scrotali incluso distingui potest. Praeterea quoque, si malum magnum incrementum cepit, tumor usque ad annulum abdominis se propagat eumque dilatat, ut jam, quidquid tumoris morbosi scroto inest, non solum ex annulo propendere videatur, sed etiam per illum in cavum abdominis removeri possit. Si denique aegrotus tussit, stat, aërem inspiratum retinet aut intestina flatibus distenta sunt, increscit, sin vero nonnihil temporis dorso recubuit diminuitur varicocele.

Quae omnia apta sunt, ut in errorem incidamus malumque cum epiplocele confundamus. Veruntamen, quum res ambigua est, universus morbi decursus nos de vera tumoris natura certiores reddet. Nam sensim sensimque varicocele oritur tumorque primum in inferiori scroti parte apparet et postea abdomini propius accedit; epiplocele autem repente in regione annuli in conspectum venit indeque paulatim ad scrotum descendit. Varicocele porro solitis herniarum signis caret, quae cum epiplocele plerumque conjuncta sunt quaeque e distractione partium, quibus omentum affixum est atque mutato illorum situ oriuntur, quamquam non negligendum est, aegrotos varicocele laborantes variis, quae e debilitate viscerum abdominalium atque impedito per illa humorum transitu proficiscuntur,

incommodis molestiisque, saepe vexari. Testis, si varicocele adest, emacescit tandemque plane collabitur; in aegroto epiplocele affecto semper sanus est et magnitudinem naturalem retinet. Praeterea, quum varicocele tussiendo aut quavis alia causa augetur, manifesto tactu percipi potest, tumoris incrementum in fundo scroti oriri, non, sicut fit, si epiplocelen exploramus, ex annulo abdominis provenire. Praecipue autem morbi naturam manifestat insignis ille dolor, qui compresso varicoceles tumore excitatur illique simillimus est, qui teste compresso nascitur, ab illo vero omnino differt, qui epiploceles compressione perquam maxima efficitur. Interdum etiam varicocele sponte dolere incipit atque iste quidem dolor haud raro, internam femoris, quod in latere affecto est, partem persecutus, ad genu usque se propagat et sursum usque in regionem lumbalem pertinet; id quod imprimis accidit, quum stomachus nimio cibo oneratus est.

Cum hydrocele funiculi spermatici varicocele non facile confunditur, si animadvertitur, testiculum in statu naturali esse; tumorem evanescere, si comprimitur, repente eum, compressione sublata, redire; fluctuationem et pelluciditatem adesse; sensum fasciculi lumbricorum non percipi, quae omnia signa satis indicant, nobis cum hydrocele negotium esse.

Variae sunt causae varicoceles; omnibus vero hoc commune est, ut venae funiculi spermatici et testiculi, gravissimis sanguinis congestionibus aut stagnationibus nimis extensae, relaxentur omnemque fere resistendi vim amittant. Illum effectum excitare solent: vita Veneri nimis indulgens, onaniae vitium, cupidines libidinosae, quae diu frustra fovebantur, vita sedentaria, tumores et indurationes viscerum abdominalium, brachierium funiculum spermaticum comprimens, immoderata equitationis exercitatio aliaeque nonnullae hominum occupationes. Morbus ceterum crebrius testiculum sinistrum, quam dextrum corripere solet, propterea quod flexura sigmoïdea coli, excrementis impleta, vasa funiculi spermatici illius lateris ita comprimit, ut sanguis, quominus ad cor refluat, impediatur.

Caput VII.
De Sarcocele.

De notione sarcocelae tribuenda omnes fere omnium temporum medici valde inter se discrepant. Callisen [1]) enim opinatur, unumquemque testiculi tumorem chronicum, qui cum immutatione aut partiali, aut totali partis affectae in substantiam structurae legitimae alienam conjunctus sit, sarcocelen

1) Callisen systema chirurgiae hodiernae. Pars II, p. 144.

appellandam esse. Quam significationem si admitteremus, sarcocele omnes fere testium morbos amplecteretur, quum maximam eorum partem, morbis dynamicis utique exceptis, tumor vel induratio comitentur. Atque revera constat, plerosque veterum multique recentiorum scriptorum omnes testium immutationes morbosas, sive morbus fuit chronicus, non dolens, sine ullo signo specifico, sive naturam malignam, scrophulosam aut scirrhosam praebuit, sarcocelae adnumerasse; quin etiam fungus medullaris testium hucusque saepius sarcocele nominatus est. Quam significationis varietatem multorum errorum fontem esse, quicunque chirurgorum libros paulo accuratius pervolverit, intelliget. Non magis Pottii sententiae mihi assentiendum esse puto; nam tum demum morbosae testium immutationi sarcoceles nomen tribui vult, quum substantia glandularis ita transmutata est, ut pro parenchymate molli, subtili, vasculoso, massam duram et carnosam contineat. Illa quidem explicatio notionem verbi literis inhaerentem exprimit, sed medicum varios testium morbos denominaturum finibus nimis angustis constringit, quum saepius, quam illa Pottii sarcocele, morbi occurrant, qui, si testiculum per scrotum externe examines, signa quidem simillima praebent, sin vero cultrum anatomicum adhibeas, immane quantum differunt. Idcirco multo mihi aptius videtur sarcocelae, notionem paulo la-

tiorem ei tribuendo, omnes morbos testium chronicos adnumerare, qui conjuncti sunt cum tumore non dolente, sive est laevis, sive paululum tumulosus, sive massa constat carnosa, sive alia qualicunque, dummodo ne signa, quae suspicionem morbi maligni, aut fungi medullaris aut scirrhi, comprobant, animadvertantur. Qua verbi explicatione constituta, non accipiendum est, ut complures scriptores contenderunt, sarcocelen nunquam non proclivem esse ad transeundum in scirrhum aut carcinoma testis. Neutiquam equidem negaverim, sarcocelen quandoque illorum morborum naturam assumere; sed mihi persuasum est, si quando sarcocele in morbum malignum transierit, aut neglectionem, aut curandi methodum nimis irritantem cum dycrasia inveterata et dispositione innata conjunctam illum eventum tristem adduxisse. Saepius autem sarcocele, nullo remedio adhibito, sensim evanescit aut per totam vitam immutata remanet aut denique usque ad magnitudinem admirabilem increscit.

Causa sarcoceles est inflammatio praegressa vel saltem adaucta vasorum actio, quae aut vi externa illata aut morbo dyscrasico, praesertim scrophulosi et syphilide, excitata est. Illo enim processu materia plastica exsudatur; vasa in eam ingrediuntur, partis affectae nutritionem abnorme intendunt quumque materiam homogeneam secernere

pergant simulque systema sanguinem vehens magis excolatur, etiam ulterius tumoris incrementum stabilitur.

Tumor tardissime increscit, plerumque superficiem laevem atque aequalem praebet, diu ovalem testiculi formam retinet, nunquam sponte dolet atque digiti impressione surdus modo dolor excitatur; pondus majus est, quam pro tumoris magnitudine exspectares; nullae molestiae adsunt, nisi quae funiculi spermatici tensione oriuntur. Cutis scroti tunc demum a conditione naturali recedit, quum tumor ad amplitudinem enormem pervenit, quod si accidit, plerumque oedemate afficitur ejusque venae varicose extenduntur. Interdum quoque funiculus spermaticus intumescit, nunquam autem nodosus invénitur.

Testiculus tumidus modo tam mollis est, ut sine ullo dolore in formam planam comprimendo redigatur; modo densus, non durus reperitur; haud raro denique cartilagini simillimus est. Perraró pars testiculi in materiam osseam abit; plerumque epididymis ossificationis sedes est; rarissime in substantia testiculi glandulari ipsa concrementum osseum exoritur. Dubois [1]) tamen mediam utriusque

---

1) vid. Guerbois, Uebersetzung von Baillie's morbid anat. Paris 1815 in Sedillot Journ. général de médec. T. 54. p. 161.

testiculi partem, cujus quisque sesquilibrae pondus habuit, osseam invenit. Illa ossa ebur fere duritie aequare et paucissimum substantiae diploëticae continere solent; plerumque observata sunt in hominibus provectioris aetatis, qui vestigia morborum syphiliticorum manifesto prae se tulerunt.

Si scrophulosis sarcocelae oriundae occasionem dedit, signa praesentis aut vestigia pristinae dyscrasiae adsunt. Primum quidem inter gyros epididymidis tubercula solitaria se excolere solent, deinde etiam in testiculo ipso proveniunt, postea intumescunt et in unum corpus confluunt, quo fit, ut interdum totus testiculus magni tuberculi speciem referat. Cavendum autem est, ne hunc testiculi morbum cum scirrho confundas, quum initio quidem aeque ac ille superficiem nodosam praebeat; sed illi nodi non tanta duritie praediti sunt, quanta scirrhi et praeterea dolores plane desunt.

Si sarcocele e causa syphilitica oritur, aegrotus semper nonnihil temporis ante morbo sypilitico, inprimis gonorrhoea laborabat et quum jam opinaretur, fore ut omnium incommodorum, quae ex infectione redundare possint, expers sit, repente inflammatione chronica testiculi afficitur, quae sarcocelen relinquit.

Roux [1]) denique aliam sarcoceles speciem descripsit, in qua substantia glandularis testiculi et

1) Dict. des sciences médic. Vol. L. p. 13.

funiculus spermaticus valetudinem integram tuentur; sed e tunica albuginea aut vaginali materia aliena excrescit, quae solo pondere testiculi adaucto molestias affert. Primum quidem, parvam illarum tunicarum partem occupans, facile cognoscitur; postea vero, quum jam totum testiculum amplectitur, a scirrho aut fungo medullari difficile discernitur. Illa materia carnosa, cartilaginea vel fungosa est, aut lipomati vel steatomati simillima.

Omnibus sarcoceles speciebus hoc est commune, quod, postquam jam per aliquantulum temporis constiterunt, exhalatio et resorbtio seri, quae inter tunicas testiculi procedunt, ita perturbari solent, ut serum in tunica vaginali se accumulet atque hydrocelen formet, cui primus Fabricius ab Aquapendente hydrosarcoceles nomen dedit. Difficillimum vero est ad dijudicandum, utrum hydrosarcocele, an hydrocele genuina adsit, nisi morbi historia et decursus in auxilium vocatur. Nam si induratio tumorque testiculi liquoris collectionem antecesserunt, conjicere licet, testiculum morbo correptum esse illaque conjectura etiam verisimilior fit, quum tactu durities insolita in posteriori tumoris parte, ubi testiculus ipse tangitur, percipitur aut superior funiculi spermatici pars indurata invenitur.

Multo facilius sarcocele simplex ab hydrocele pura dijudicatur, etiamsi illa quoque et formam pyramidalem praebet et in inferiore funiculi sper-

matici parte sita est. Veruntamen sarcocele plerumque superficiem duram exhibet, quae non aeque impressioni cedit, ac in hydrocele fit; sarcocele praeterea majoris ponderis est, quam hydrocele ejusdem magnitudinis. Tota sarcoceles superficies raro aequaliter indurata est, sed passim loca ceteris duriora occurrunt; hydrocele ubique aequam densitatem praebet, excepto illo loco, quo testiculus est situs. Sarcocele simplex nunquam fluctuat, hydrocele plerumque; in hac denique nunquam funiculus spermaticus intumescit, in illa saepissime.

Antequam vero ad aliam commentationis partem transgredior, silentio non praetermittendus est morbus nostris quidem regionibus rarissimus, sub coelo australi satis frequens, elephantiasin scroti dico, illam telae cellulosae degenerationem, qua scrotum immane quantum amplificatur atque indurescit. Qui quidem hunc morbum singularem non satis cognoscunt, facile in errorem incidunt, stupendam sarcocelen adesse putantes, quum saepissime tubera testiculos mentientia telae cellulosae insint. Omnes vero hujus morbi observationes in eo consentiunt, testiculos, scroto illo morbo affecto, cujuslibet vitii expertes reperiri [1])

---

1) Larrey mémoires de chirurgie milit. Tom. II. p. 110 seq.— Dict. des sciences médic. T. L. p. 7. seq.

Caput. VIII.

De Scirrho et Carcinomate testiculi.

Scirrhus testiculi plerumque sponte, sine ulla causa aperta exoritur; sed, dispositione ad dyscrasiam scirrhosam corpori insita, origo ejus externa vi illata acceleratur; interdum dolores trahentes et cursum funiculi spermatici persequentes, quasi prodromi, praecurrunt. Iam testiculus tumescit, indurescit; diu in hoc statu ambiguo perseverare solet, nullas molestias afferens; nonnunquam autem malum statim tam velociter progreditur, ut, paucis mensibus praeterlapsis, ad summum malignitatis gradum perveniat. Ceterum neque aetas, neque status ullus immunis ab eo servatur; aeque enim divites, ac pauperes corripit; pueros tamen non tam crebro, quam adultos et potissimum senes afficit.

Semper fere morbus primum in didymide observatur, in cujus parenchymate ubique radices agit; postea quoque epididymis in perniciem ruit. Perraro tamen casus occurrerunt, in quibus scirrhus primus in funiculo spermatico apparuit et descendens testiculum corripuit.

Testiculus scirrhosus nunquam non lapidis duritiem habet, neque ullo modo adeo comprimi potest, ut impressioni cedat; superficies ejus inaequalis, aspera, nodosa est, quae signa eo magis conspicua

fiunt, quo majus tumor incrementum capit. Etiamsi initio quidem omni dolore caruit, postea tamen dolores acerrime pungentes et urentes, qui contactu quamvis lenissimo adaugentur, non solum testiculum, verum etiam funiculum spermaticum, qui idem tumet, durus et nodosus fit, subinde percurrunt. Iam etiam glandulae in inguine sitae tumescunt, cutis scroti colorem mutat et cum tumore concrescit. Interdum testiculi magnitudo imminuitur, durities autem adeo augetur, ut parenchyma in se ipsum retractum esse videatur; saepius vero, si testiculum scirrhosum manu contrectaveris, fluctuantes liquoris collectiones animadvertes, quae modo uno, modo pluribus parenchymatis cavis continentur. Illa loca fluctuantia, quae meram saniem complectuntur, tandem se aperiunt; scrotum nimis extensum perforatur atque ulcus exsistit, quod magnam quidem ichoris foetidi copiam emittit, qua effluento tamen tumor neutiquam imminuitur. Margines hujus ulceris se replicant, occallescunt; e fundo sensim excrescentiae fungosae propullulant, cutis ulcus circumdans superficiem lividam multisque venis varicosis quasi marmoratam praebet; dolores, qui jam usque ad regionem lumbalem pertinent, aegrotum continuo acerrime excruciant. Praeterea quoque universa corporis constitutio simul in perniciem vocatur; ciborum appetitus evanescit; facies pallescit, corrugatur, livescit; genae labuntur;

macies velociter augetur; interea ulcus latius atque altius serpit; haemorrhagiae crebrae, quae brevissimam quidem dolorum levationem afferunt, debiles aegroti vires penitus infringunt, qui tandem insomnia diuturna, doloribus vehementissimis, febre lenta, diarrhoea colliquativa consumtus e vita discedit.

Si scirrhus lente se excolit, vulgo haud exigua seri copia in cavo tunicae vaginalis se colligit tumorique hydroceles speciem praebet; anterius quidem latus prorsus non ab hydrocele dijudicari potest; posterius vero latus explorantes, in eo loco, quo tunica vaginalis cum albuginea arctissime cohaerent, duritiem atque inaequalitatem animadvertemus, qualem hydrocele non ostendit; praeterea testiculus et funiculus spermaticus, jam antequam collectio seri exstiterit, tumidi et tuberosi fuerunt atque dolores vehementissimi utrumque pervolitaverunt, quae omnia hydrocelae simplici non respondent. Iisdem signis, quibus superficies inaequalis adjicienda est, hydrocele a scirrho puro dignoscitur.

Priusquam vero hoc caput finiam, illius carcinomatis scroti, in quod postissimum Pott [1]) medicorum animos convertit, mentio mihi facienda est, quia illi morbo magna cum testium carcinomate similitudo inest, praesertim si originis utriusque morbi rationem non habemus. Primum enim in inferiore aut ante-

1) Pott, chirurg. Werke. Bd. II. p. 457.

riore scroti parte excrescentia verrucosa, quae in ulcus abit aut statim ulcus impurum, superficiale, margine replicato exoritur, quod, si negligitur, totum scrotum devorat atque etiam testes, funiculum spermaticum, glandulas inguinales corripit, omnia pari pernicie delens semperque carcinomatis signa prae se ferens. Illud malum horrendum tantummodo caminorum purgatores aliosque homines, quibus multum cum fuligine negotium est, invadit. Sed sola lithanthracum fuligo, ut observatum est, hunc morbum excitat, qui idcirco nusquam fere, nisi in Anglia occurrit; illic enim semper lithanthraces tantum igni alendo adhibentur.

Caput IX.

De fungo medullari testiculi.

Plerique scriptores chirurgici fungum haematoden atque fungum medullarem inter se distinguendos esse asseverant, quasi gravissimum in utriusque morbi natura discrimen positum sit. Waltheri [1]) autem sententia, multis rationibus munita, ceteris omnibus praeferenda esse mihi videtur; comprobare enim

1) v. Walther, über Verhärtung, Scirrhus, harten und weichen Krebs, Medullarsarkom, Blutschwamm etc. in Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. V. Hft. 2. 4.

studet, eandem utrique morbo naturam esse; in utroque materiam oriri, quae tela cellulosa vasisque partim longius productis, partim recens exortis constet; in altero autem plus albuminis (fungus medullaris), in altero plus cruoris (f. haematodes) e sanguine secerni. Quum igitur uterque morbus specie externa tantum inter se discrepet, uterque autem materiam cerebri medullae similem praebeat, non inepte mihi agere videor, si fungi medullaris nomine promiscue utor.

Omnium corporis humani glandularum, secundum Abernethy sententiam, fungus medullaris frequentissime in testiculis observatur; ceterum saepius pueros, quam homines adultos afficit, quamquam in iis quoque non raro occurrit, quum venenum e gonorrhoea syphilitica ortum atque in testiculos translatum causis remotis hujus morbi adnumerandum esse videatur. Inprimis vero homines constitutione laxa praediti, Scrophulosi affecti aut nimia seminis jactura debiles illi morbo obnoxii sunt. Fungus nunc unum, nunc utrumque testiculum simul corripit; nunquam vitium congenitum est neque, ut ex omnibus ejus observationibus patet, morbus localis haberi potest,

Morbus neque inflammatione ulla, neque molestiis aliis praegressis in epididymide aut in didymide, interdum simul in utraque initium capit et plerumque neque vis est externa, neque interna,

quam originis causam significares. Testiculus tumescit, sed non a forma ovali recedit, quamquam difficillimum est ad dijudicandum, quid sit testiculus, quid epididymis. Initio morbi neque inaequalitas, neque durities, neque alia ulla telae glandularis testiculi mutatio tactu percipitur. Dolores vehementes neutiquam cum morbo conjuncti sunt. Postea quum malum jam per aliquod temporis intervallum perduravit, manifesto animadvertes, testiculi parenchyma emollitum esse, materiamque impressioni cedentem, elasticam, laevem, aequam, lubricam praebere; testiculum non quidem formam, sed sensibilitatem solitam amisisse. Optime tumorem, si per scrotum etiamnunc integrum contrectas, spongiae vesica arctissime circumdatae comparaveris. Quum jam magnum incrementum cepit, tam fallacem fluctuationis speciem prae se fert, ut jam fuerint, qui, tumorem hydrocelen esse putantes, ad aquam amovendam punctionem instituerint [1]. Ceterum pondus tumoris majus est, quam pro magnitudine exspectares. Interdum tumor paulo densior est et quasi duriusculus, nunquam durus aut tuberculosus, semper formam rotundam et globosam conservans. Morbus, si scrotum suspensorio assidue sustinetur, longam quidem annorum seriem immu-

---

1) Wardrop et Earle in medico-chir. transact. Vol. III. p. 60.

tatus permanet; neque vero unquam observatum est, exitum funestum se non obtulisse. Lente tumor increscit, sed interdum magnitudinem capitis modici attingit, praecipue quum unus testiculus solus morbo correptus est. Antequam vero malum ad illam magnitudinem pervenerit, jam signa cachexiae universalis magis conspicua fiunt; facies enim pallida est, cutis colore lurido atque sudore viscido suffusa, aegrotus aegre spiritum ducit, macescit, ejus vires infringuntur, dyspepsia laborat, glandulae inguinales non modo lateris affecti, verum etiam alterius tumescunt. Jam etiam funiculus spermaticus in morbum delabitur, intumescit tumorque, qui neque durus, neque dolens est, a testiculo surgens, tandem per annulum in cavum abdominis ingreditur gravique onere sensum excitat tendentem et trahentem in regione lumbali, qui maxime post coenam molestias affert atque in ultimo morbi spatio jam non intermittit. Febris lenta tandem aut hydrops vitam aegroti ad exitum adducunt.

Si tumor ad insignem magnitudinem pervenit, alia loca duriuscula, alia tam mollia reperiuntur, ut ea ruptum iri existimares. Scrotum antea integerrimum, vasis varicosis colorem insolitum assumit, nunquam dehiscit; aegroti enim semper prius succumbunt, quam ad ulcerationem perveniat, neque unquam, etamsi scrotum scalpello perforas et testiculum fungosum ipsum vulneras, sicut in aliis cor-

poris partibus semper fit, quum cutis fungum obtegens perscinditur, fungus per vulnus propullulat, sed potius exigua sanieï sanguineae copia effluit [1]).

Interdum glandulae inguinales simul cum testiculis fungo medullari afficiuntur, quod si evenit, plerumque ad magnitudinem insignem extumescunt; cutis superimposita disrumpitur atque partes haud exiguae glandularum fungosarum putredine separatae decidunt. Quum cadaver rescinditur ejusque viscera perquiruntur, etiam aliae partes internae, praecipue hepar, pulmones, cerebrum, glandulae mesentericae ab eodem morbo affectae reperiuntur [2]).

Praeter illam, quam modo descripsi, fungi speciem Lawrence [3]) alius mentionem fecit, quae e tunica albuginea aut parte substantiae glandularis superficiali progerminat neque unquam totum testiculum corripit Externa enim vi illata aut gonorrhoea syphilitica praegressa, rarissime sine ulla causa manifesta, inflammatio exoritur; testiculus valde tumescit, vehementissime dolet, duritiem insignem praebet, tandem locus fluctuans abscessum

---

1) Chelius Handbuch der Chirurgie T. II. p. 437. §. 1980.

2) Cf. casus ab Earle, Lawrence, Langstaff observatos in medico-chirurg. transact. Vol. III.

3) Sam. Cooper. Handbuch der Chirurgie, übersetzt von Froriep. T. III. p. 236 et Dict. des sciences médic. Vol. L. p. 16.

adesse indicat; quo mox disrupto, scrotum sensim extenuatur atque suppurare incipit; foramine orto, non pus, sed fungus durus atque insensibilis prorumpit; simul tumor dolorque testiculi valde diminuuntur, sed tela cellulosa scroti indurescit. Si ille fungus aliquo remedio adhibito deletur, cutis scroti rursus clauditur atque cicatrix exoritur, quae cum testiculo arctissime conjuncta est.

Curriculum vitae.

Natus sum ego, Henricus Simonson, veteri addictus fidei, Berolini anno MDCCCIX parentibus optimis, dilectissimis, patre S. B. Simonson et matre Minna e gente Heinemann quos divina gratia etiamnunc superstites pio gratoque animo veneror. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium regium Joachimicum Berolinense septem annos frequentavi et maturitatis testimonio instructus, anno MDCCCXXVII ab Ill. Rudolphi t. t. Prorectore et medicorum ordinis Decano in numerum civium universitatis literariae Berolinensis receptus atque medicinae studiosis adscriptus sum. Ex quo inde tempore per octo semestria hisce scholis interfui: Cel. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia comparata, corporis humani, organorum sensuum foetusque humani, de physiologia historiaque naturali entozoorum; Cel. Knape de ostologia et syndesmologia; uterque artem cadavera rite dissecandi me edocuit. Cel. Turte de physice experimentali; Cel. Schlemm de angiologia et neurologia; Cel. Mitscherlich de chemia universali; Cel. Link de botanice, historia naturali, pharmacologia et toxicologia; Cel. Erman

de lumine et calore; Cel. Lichtenstein de zoologia; Cel. de Schlechtendal de plantis cryptogamis; Cel. Michelet de logice et metaphysice; Cel. Hecker de pathologia et therapia generali; Cel. Osann de materia medica et fontibus medicatis Germaniae; Cel Zumpt de scriptoribus historicis romanis; Cel. Bartels de pathologia et therapia speciali; Cel. Casper de arte formulas medicas rite conscribendi et de morbis infantum; Cel. Rust de chirurgia universali; Cel. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de operationibus chirurgicis, de arte obstetricia; Cel. Horn de morbis syphiliticis disserentes audivi. Deinde per tria semestria interfui clinicis exercitationibus medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis Virorum illustrissimorum atque experientissimorum Wolf, Rust, Kluge, de Graefe, Iuengken, Barez.

Absolutis tentamine philosophico, medico et examine rigoroso,conscripta defensaque dissertatione, fore spero, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantnr. —

Theses defendendae.

1. Pertussis est morbus spasticus, non inflammatorius.
2. Arteriarum ligatura non semper praeferenda est torsioni.
3. Atmosphaeram nervorum sensibilem nego.
4. Tubercula pulmonalia nunquam fere ab inflammatione originem ducunt.
5. Tubercula a scrophulis maxime differunt.
6. Tracheotomia in angina membranacea omnino est rejicienda.